

illius exemplum habemus in fig. 4. hujus vero in 5. in illo quia radii incidentes admodum disperguntur, majores quoque efficiunt angulos atque proinde longius ab invicem in punctis incidentiæ distant, reflexi vero minus divergunt & ad parallelismum magis accedunt, ideoque si retro producantur, remotum valde imaginis locum designabunt. Et quia quo propius objectum centro L est, & a superficie speculi remotius, eo majorem divergentiam nanciscuntur radii reflexi, hinc etiam citius retro coeunt, ac propinquius semper objectum tergo speculi sistunt, usque dum æqualiter etiam tandemque minus a speculo distet. Objecto vero & oculo post centrum constituto, uti in fig. 5. concurrunt radii reflexi intra ipsam speculi cavitatem, & quanto remotiora illa fuerint, eo propius objecti imago superficiei speculi erit, ut adeo in illa ipsa natate videatur: patetque hinc simul etiam, cur inversa appareat imago. Cum enim radii qui e superiore objecti puncto procedunt inferius reflectantur, illi vero, ex inferiore, superius, (nam alii radii, incidentes ex puncto C in speculi partem superiorem ad oculum sic positum nunquam reflectentur, nec ii qui ex puncto D in partes inferiores incidunt; prout reflexos ad oculum ex regularum præscripto quærentibus patebit) necessum quoque est ut superior pars infra; inferior vero supra appareat.

Tantum hac vice
 &
GLORIA DEO.

In-